

est locus, tempus. Locus non est in Petro, sed Petrus in loco est; Neq; tempus est in Paulo, sed Paulus in tempore est. Unde etiam affectiones hæ extrinsecæ neutiqvam è corporibus naturalibus separari possunt; contra naturam enim affectionum est separari posse à subjecto, sunt enim illa vera propria, quæ omni, soli & semper insunt. Seqvuntur essentiam, quæ positâ ponuntur & ipsæ. Sic igitur Locus & tempus cum materiam inseqvantur non absolutè & simpliciter, sed respectivè tantùm extrinsecæ affectiones dicuntur, quatenus extra corpus naturale aliquid deprehenditur, quod applicandum est, ceu supra etiam id monuimus.

SECTIO SECUNDA

tradens

Confectaria Affectionum Corporis Naturalis

quorum

Primum.

ita habet

Affectiones inseqvuntur essentiam, communem communes, propriam propriæ.

Ne inferantur Parti Physicæ communi, quæ specialis; nec huic, quæ illius sunt, cautio est. Sicut ergò Corpora naturalia communes suas habent causas, materiam scilicet & formam; communes etiam suas habent affectiones, quæ essentiam per causas illas communes constitutam necessariò inseqvuntur: Ita quælibet corporum naturalium species proprias suas habent causas, proprias etiam suas habent affectiones, quæ essentiam illâ per causas illas proprias constitutam necessariò inseqvuntur. Sicq; uti communis essentia, ita & communes dantur affectiones: Sicut peculiare & propriæ sunt essentiæ, ita peculiare & propriæ sunt affectiones. Cælum, Elementa, mixta & animata communem habent essentiam, sunt enim corpora naturalia, constantia materiâ & formâ; Communes igitur habent affectiones.

B

affectio-